



Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

17. Tria officula organi auditus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

(185)

S Y M B O L U M 15.

Cor hominis Trigonum.

Humano si quanta petis sit corde cupido ,
Sidereoſ orbes volve , ſolique globum.
Cor licet exiguae ſit carneæ portio molis ,
Vim tamen immensam , nec leve pondus habet.
Non capitur cælis humana cupido , Trigonum
Sola Trias noſtrum cor ſatiare potest.

N. SSS. Trinitatis fides commendatur in eo : diliges Dominum Deum tu-
um ex toto corde , ex totâ animâ & ex totâ virtute : quaſi diligere ex corde,
ſit diligere ex totâ memoriâ quaſ Patri adſcribitur ; ex totâ animâ , ſit ex to-
to intellectu qui filio datur ; ex totâ fortitudine , ſit ex totâ voluntate , quaſ
Spiritui ſ. accommodatur. Raban. in Deut. 6.

S Y M B O L U M 16.

Tres digitorum articuli.

Si lubet en dīgito Triadem monſtrare licebit ;
Tres ſunt in dīgito quolibet articuli.
Si dubites , crepitus digitorum conſule , membrum
Quodlibet ad libitum tres digitale dabit.
Quot dīgitos igitur dextrâ lævâque recenſes ,
Tot ſunt ante oculos ſymbola clara tuos.

S Y M B O L U M 17.

*Tribus officiis ſtipatur organum auditū ſeu tympanum quorum
unum incudis , alterum malleoli , tertium ſtapediæ figuram
refert.*

Monſtravi dīgito nunc auribus excipe , præſtrāns
Arcanæ Triadiſ ſymbolon , auris habet.

ſtipari

Stipari ossiculis auditūs organa ternis ,
 Quisque machaoniā , qui valet arte , docet.
 Nempe palam Triadis quoniam mysteria Doctor
 Explicat, hanc vulgus percipit aure fidem.

S Y M B O L U M 18.

Triplex hominis ætas.

Crescens , media , deficiens.

NOn immota manet, crescit, stat, deficit ætas,
 (a) Ad metam gradibus labitur hisce tribus.
 Maturo libres animo, quo tramite pergas
 Præfixam ad metam , quam tua tela petant.
 Dum crescit, dum stare putas, dum labitur ævum ;
 Tuta tibi ac felix meta sit una Trias.

(a) *Quid aliud est vita quam cursus ad mortem inquit S. Aug. Præsens vita magis mors est quam vita , quia consistit in corruptione , fluxu & refluxu. Theoph. A tumulo tumultum peto. Nazianz. Quotidie demitur aliqua pars vitæ , & tum quoque cum crescimus vita decrescit ; hunc quem agimus diem , cum morte dividimus : mox ut in vitam ingredimur . statim alia porta exire incipimus. Seneca epist. 59. Ite nunc mortales, opes, honores, prædia accumulate , cras morituri dicit noster Pincharius. Plures corporis humani Trinitates reperire est apud Bedam de nativitate infantium. Ubi etiam tres dies & noctes addit scil. 6. Kal. Feb. & 3. Kal. & idus Feb. in quibus si vir natus fuerit, corpus ejus sine dubio integrum manere dicit : cuius mysterium mirabile est valde. Quid re-
 ri subdit, nescio.*

SUB-